

869.

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS;  
**JOHANNES Selein/**

J. U. D. & P. P., SERENISSIMI DUCIS MECLENBUR.  
GICI CONSILIAR. INTIMUS, NEC NON CAN.  
CELLARIÆ JUSTITIÆ AC CONSISTORII  
MEGAP. DIRECTOR,

FUNUS

VIRI MAXIME REVERENDI ATQ.  
EXCELLENTISSIMI,


**DN. ANDR. DA-  
NIELIS HABICHHORSTII**

S.S. THEOL. D. & P. P., CONSILIARII CONSISTORIALIS  
AC FCTIS THEOL. NEG NON TOTIUS AKA.  
DEMIÆ SENIORIS CELE-  
BRATISSIMI,

â

MOESTISSIMA VIDUA

DECENTER PARATUM,  
SOLENNITER INDICIT, ET Ad ILLUD PROCERES  
AC CIVES ACADEMICOS, EA QVA PAR EST, HU.  
MANITATE INVITAT.



ROSTOCHI,

iogr. erud. JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC. AC ACADEM. TYPOGR.

1584, 16



## Vando oculos nostros

vel animum in funus, qvod effe-  
rendum hodiè est, viri ætate grandis  
variisqve casibus exercitati, dirigere  
placet, neminem facile reperiri arbit-  
ror, cui non in mentem veniat memo-  
rable illud Legislatorum sapientissimi  
effatum, Psal. XC, v. 10, contentum, qvō  
indicatur: vitam nostram durare per an-  
nos septuaginta, vel ad summum LXXX, & excellentissimum in ea la-  
boriosum esse atq; molestum. Non patior autem mihi persuaderi,  
ullam magis rem præsentì die, qvam hanc ipsam, accutatam  
considerationem nostram sibi summo jure expetere posse. Haud  
adducam multa generatim de inveterato mortalium erga mortem,  
tanquam omnium ipsis tertibilissimum, odio; sed id tantum di-  
cam, mirandum meritò esse. qvare illi vitæ longævitatem tam ar-  
denter expetant, ut etiam de natura malignitate, teste Seneca,  
conquerantur, quod in exiguum evigignimur? Nec huic publico,  
dicente raulo post eodem viro, ut opinantur, malo, turba cantum &  
impruens vulgus ingemuit; clarorum quoqve virorum hic affectus  
querelas evocavit. Hinc nihil usitatus, qvam iis, qvibus faves, seram  
mortem & Nestoris annos apprecari. Non ignoro quidem, mor-  
em esse stipendum peccati, & simulac peccatum per unum ho-  
minem introiit in mundum, cum peccato mortem advenisse, &  
ad omnes homines pertransisse: verum, quid paucorum anno-  
rum mora juvare eos possit, qui mortem esse certā sciunt, licet hora  
ejus sit incerta, videre neq;eo! Sicut enim tempus est nascendi &  
moriendi, & statutum hominibus semel mori: ita & prætervo-  
lant dies, velox labitur ætas, consumimus annos nostros tanquam  
confabulationem. Rectè Augustinus in Psal. 39, Si, inquit, totè  
tempore illo viveres, ex quo Adam de Paradiſo emissus est, usque  
in bodiernum diem, certè videres, vitam tuam non fuisse diurnam,  
qua se evolasset. Unius autem cuiusque vita hominis quanta est? adde  
quanto libet annos, duc longissimam senectutem: quid ergo? nonne hora  
matutina est? Tame efficaci verborum acumine laudatissimus Pa-  
cer annorum, etiam hic satis pro nostro æstimio longorum, velocis-  
gatem

latem describit! Sed audivimus jam ab eo, qvem primo loquendem introduximus, DEI viro: qvis sit ordinarius vitæ humanæ, pro ratione istius temporis, terminus? qvo præterlapso, si debitum naturæ aliquis solvat, ad casum illum, tanquam rerum naturæ convenientem, facilius nostro judicio solemus acqviescere; cum contra, si juvenes mortis vi abripiantur, in vitæ adhuc primordio constituti, majori compellamur horrore: annus nempè septuagesimus, ad sumnum LXXX. Qva in re etiā inter veteres Ethnicos reperiuntur consentientes; ut, qvando Solon ad Croesum: confidimus, inquit, homini vitæ terminum septuaginta circa annos, & Macrobius, Septies, deni, ait, anni a Physicis creditur meta vivendi. Atq; eò minus ab hac sententia me patiar dimoveri ab iis, qui cum Belarmino, Genebrardo aliisque, Psalmistam existimant numerum hunc intelligere determinino ætatis vigorosæ ac vegetæ; cum ipse Moses annos conficerit 120: qvò clarius præsens versus noster generatim de annis loquitur, statim additio: qvod ex hac vitâ avolumus, & v. 12. à DEO petitur: ut doceat nos numerare dies nostros, numeratione utique non merè speculativâ, sed practicâ, sive prudenti calculationis ad usum in vitâ ac morte, applicat'one. Nam privilegium Mosis ordinario naturæ cursui nihil præjudicare potest; qvia terminum illum communissimum non omnes tunc temporis attingebant, & alii nonnulli juxta Dei voluntatem transgredi poterant. Ad summum autem anni LXXX absolyti dicuntur, qvod Vulgatus satis barbare exprimit: in potentibus, alii melius; in fortitudinibus; qvæ vox non tam ad ipsius temperamenti humani validam constitutionem, qvam annorum vitæ numerum, referenda videtur, hoc sensu: simulium invaluerint anni, ad octagesimum perveniunt, nisi scilicet peculiare qvoddam privilegium accedat. Qvicquid interim de numero annorum ordinario sit, quid de conditione vitæ humanæ durantibus his annis testatur Moses? Excellentissimum, qvod Vulgatus absq; sensu ferè exprimit: amplius eorum, asperit laboriosum esse atque molestum. Si nempè in tanto annorum spatio notabilia qvædam occurrunt, unde homines gloriam maximam exspectare solent, vel qvo ipso ad summam in mundo delectationem sibi viam parare qværunt, tanc illa involuta reperiuntur laboribus, tantis obruta molestiis,

A 2

ut

ut hæc utramque paginam faciant, & locum inveniat tritum illud Ecclesiastis: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quid bas-  
het amplius homo de universo labore suo, quod laborat sub sole. Imò  
ob inevitabilem hanc necessitatem labor a sapientib[us] inter glorio-  
sa refertur. Loquitur Seneca: *Generosos, ait, animos labor nus-*  
*tris. Laborem si recuses, parum esse potes.* Non est viri timere sude-  
rem. Ubi facile appareat, non de labore meram jucunditatem  
afferente, qualis etiam ante lapsum ab homine suscipiens erat,  
sed cum molestia ac defatigatione in amœna conjuncto, sermonem  
esse: unde Psalmista expresse vocem molestiae labori adjungit.  
Molestiam sanè creant, quæ pro officii ratione, ad optimum licet  
finem, efficere tenemur, quæ sanitati nostræ ac prosperæ con-  
stitutioni contraria sunt, quæ ab adversariorum machinationibus  
contra nos protruduntur, quæ ipsi nosmet ex inadvertentia ac  
infirmitate humana interdum committimus noxia, imò & illa-  
sæ penumerò, ex quibus gaudium ac recreationem expectabamus.  
Quapropter & hoc in passu sapientiam suam laudabiliter probavit,  
quod sapientissimus mortalium sui temporis, oraculi judicio, habitus  
est, *Socrates*; quando interrogatus: quomodo quis sine mole-  
stia vitam agere posset? id negavit ullo modo possibile  
esse. Non enim licet, respondit, civitatem aut domum  
inhabitanti, & cum hominibus versanti, sine molestiis degere.  
Haud absq[ue] causa autem statim ab initio dixi, iis, qui præsens  
funus considerare sustinent, memoriam facili negotio dicteri-  
um Mosaicum, tum adductum, suggesturam esse. Id quod  
ipsum Vitæ curriculum, pro more nunc exponendum, apertis-  
simè testabitur. Est enim Beatus noster, ceu ex rubro Pro-  
grammatis constat, ANDREAS DANIEL HABICHHORSTI.  
US, Philosoph. & Theol. D., Illiusque antebac per XV, bujus  
vero per XVII. annos P. P., Sereniss. Ducis Mecklenburg. Consilia-  
rius Confessorialis, nec non FC:is Theol. acrosius Academiæ Seniorz  
cujus vitam in Rostochio Literato, ab ipso descriptam, variis  
fortunæ casibus refertam, legere licet. Qvare hoc loco non-  
nulla saltem ex præcipuis adducere opus erit. Lucem itaq[ue] adipe-  
nit Buzorii, ditionis Meclenburgicæ Oppido, Parre DANIELE  
HA:

HABICHHORST, variarum qvondam arcium ac districtuum  
Præfato, Matre AGNETA GRELLI Matronâ honestissi-  
mâ, HERMANNI GRELLII, Senatoris Wismariensis filiâ. Avum  
habuit Melchiorum Habichborß, Advocatum Gustrovensem, Aviam  
Eßberam Emmen, Fœminam laudatissimam, MATTHÆI EM-  
MII, Civitatis Gastroviensis Syndici, filiam. Et qvidem Ma-  
ter ejus pientissima, cum ultra annum sterilis eslet, votum fecit,  
semet, si Filium enixura eslet, sacrisillum officiis consecraturam,  
qvem in lucem protulit Ao. 1634. d. 14. Martii, ac in Sacro  
Baptismate nomine ante memorato insigniri curavit. Ut igi-  
tur voti sui compotes fierent Parentes, Praeceptoribus eum  
commiserunt instruendum, & primo qvidem M. JOACH.  
HERMETI, in Schola Graboviensi Juventutem tunc temporis  
formant. Deinceps illum Ao. 1648. Gustropium miserunt, ubi  
sub ductu M. GEORG. SCHEDII Rectoris, ANDR. METZ.  
MACHERI tum Sub-Rectoris, Blasii Grabii Con-Rectoris, nec  
non FRID. WITTMANNI & JOACH. GEISTII, per inte-  
grum lustrum lingvis & politiori literaturæ operam dedit.  
Postea B. noster Ao. 1653. d. 6. April. in Academiam nostram  
missus est, ac publicas privatasq; tam Theologorum. D. JOH.  
GEORG. DORSCHEI, D. HERM. SCHUCKMANNI, D.  
GASP. MAURITHI, D. JOH. QVISTORPII II. & JOH.  
CHRISTOPH. OTTONIS, tum Philosophorum, D. AUG.  
VARENII, M. MICH. COBABI, M. BERNH. GOS-  
MANNI & M. ANDR. TSCHERNINGII, qvam dili-  
gentissimè visitavit Scholas. Anno. 1654. autem, ad Recturam  
Scholæ in Civitate Lychenâ, qvæ Marchiacæ ditionis est, fa-  
vore Senatoris cuiusdam, qui Concione ipsius auditâ valde de-  
lectatus fuerat, præter spem vocatus, spartam illam tandem, etsi  
invitus, accepit. Seqventi Anno 1655. Rectoratus Scholæ Streli-  
ensis in Ducatu Meclenb. una cum Diaconatu Ecclesiæ loci isti-  
us, ipfi oblatus est, licet ille, Scholasticâ vocatione acceptâ,  
Ecclesiasticæ dilationem petierit, & sub conditione habendarum  
nihilominus concionum, impetraverit. Ast vario vitæ illius  
scholasticæ tædio vietus, A. 1657. Rosiorium deposito officio,

red iit, Philosophiæ totum se tradens, ac A. 1658. gradum Ma-  
gisterii d. 18. Maii assumpsit, defensâ paulò ante sub Praesidio B. Vau-  
renii disputatione de Massa Midbar jam ad jes. c. 21; nec minus  
Lauream poetica mense sequente est adeptus. Statim vero  
post, ne frustra corollas has accepisse videretur, Collegia aperire  
in vario genere scientiarum cepit, habitis quoque per seqven-  
tes IV. annos 8. Disputationibus philos., editisque sub titulo *Ver-  
salium carminibus à semet confectis*. In Theologicis eodem  
tempore non intermisit semet exercere, Theologorum ante  
laudatorum, imprimis B. Vurenii, informatione usus, ita ut  
A. 1662. in *Collegio Theologico Disputatorio* studiosam  
privatissimè operam suam exhibere potuerit. Interea Serenissimi  
Principis CHRISTIANI LUDOVICI favorem, Paren-  
tis imprimis sui meritis acquisitum, expertus est, ut decreto  
illius gratioso A. 1662. prima functio, s. in Academia s. Ecclesia  
vacans, & A. 1663. Professio Theol. ipsi promitteretur. Tum  
B. Noster exteris quoque Regiones ac Academias, ut semet  
ad tantum officium è magis præpararet, alibiique specimen in  
ipsa Theologia ederet, adire laudabilitè decrevit. Visitatè igi-  
tur primum vicinâ Gryphiswaldensi Academia, duorum mensium  
spatio sub Theologorum istius loci, D. BATTI, D. MICHA-  
ELIS, D. TABBERTI, & D. LAGI præsidio, tanquam  
Respondens Autor IV. Dissertat. de IV. Conciliis acume-  
niciis, maxima cum laude ventilavit, adeo ut prædicti viri Autores  
ipsi extiterint gradum in Theologia assumendi; quod tamen  
oblitineris propositum adhuc differre constituit. Viso inde  
Helmstadio, Rintelio, Marpурgo, Giessam venit, ibique sub  
D.P. Haberkornio Disp. solennem de Berengerianismo defendit. Re-  
licita Giessa Friedebergam, Hanoviam, Francofurtum ad Mo-  
num, Moguntiam, Wormatiam, Frankenthalum, Heidelbergam,  
Spiram, Argentoratum, Colmariam, Basileam, Bernam, Lau-  
sannam atque Genevam perlustravit, & tunc in Patriam reversu-  
rus, per Tigurum, Constanceam, Tubingam, Reutlingam, Ullmam,  
Augustam, Ingolstadium, Ratisbonam, Alcorfum, Norimbergam,  
Bambergam, Coburgum, Jenam, (ubi D. JOH. MUSEUM  
per

perimētes audivit) Lipsiam, Wittebergam, Serviam & Magdeburgum, viis atque compellatis ibi Theologis celebrioribus, iter fecit, tandemque A. 1665. ad suos feliciter rediit. Reversus, ut huic quoque Academiz eruditionem suam probaret, sub moderamine B. D. HENRICI MULLERI Dissert. Theol. ex Cor. XI. 25. 26, de Eucharistica mortis Christi commemoratione, ipse Praeses proposuit ventilandam. Cum verò hoc non obstante ad obtainendam promotionem benevolā nondum adspicit aura, D. SWANTENIUS filium suum natu majorem, Scholæ Lubecensis hodiè Rectorem Clar., informationi ejus concordidit. Qui tantos brevi fecit protectus, ut B. Nostrō Præside A. 1667. Disputationem phil. de causis, & theol. de communione sub una sub moderamine D. JOH. QVISTORPHII II, publicæ eruditorum cœnuræ submitteret. Postea Noster A. 1668. Nomen suum apud Faciem Theol., pro obtainendo Licentiati gradu, ritè profitebatur; verum svasu Theologorum consilium illud in tempus commodius differebat; acceptâ iterum alia juvēnum aliquot egregiorum ephoria; quam tamen ita administravit, ut studiosis quoque variis collegiis phil. inservire posset, potestate insuper à Rev. FCte Theol. ad appetendum Collégium Exegetico-Theol. impetrata. Aucto deinde auditorum numerō, ephoriam illam resignavit, domo conductâ, ut propositum suum eò melius effectui dare posset. Inde A. 1670. decem h.l. conscripsit ac Praeses defendit dissertationes philologicas atque historicas, I. De Messia. II. de LXX hebdomadibus Dan. III. de literis Eliæ. IV. de Exarchatu Ravennate. V. de Galionismo. VI. de Manna. VII. de Colosso Nebucadnezaris. VIII. de Nimrodo. IX. de Imperio Romano-Germanico. X. de fæmina circumdante virum; & seqvente A. 1671, præviò examine rigoroso, lectionibus cursoriis ac Disputatione Inaugurali super omnes XXI. doctrinales A.C. articulos, (ex quibus omnibus maximam reportavit laudem) gradum Licent. Theol. consilio B. Varenii in Acad. Grypsw. d. 6. Jan. ritè assumpsit, quin & daī occasione juris studiū aliquā ratione excoluit. Secuta est A. 1672. vocatio ad Professionem Oratoria, cum Noster spartam Superintendentis Svericensis, studentibus licet Consiliariis Principis, per literas

sup-

sapplices ambire noluisti et; factaque mox adspartam hanc intro-  
ductione, A. 72. Conjugium cum foemina nobilissimâ ELISABE-  
THA BARSENIA, DN. GEORGII BARSENII, J. U.  
D. & Advocati apud Hamburg., famiger. filia, & DN. JOACH.  
HENSENII J. U.D. & Advocati Luneburg. solertissimi vidua; ex  
qua postea V. liberos, 2. filios & 3. filias suscepit, qvi tamen o-  
mnes, excepto ultimo Filio, Patris jacturam acerbè deflente, ante  
Patrem diem obierunt. Qvam sedulo autem juventuti inservire  
qvaesiverit, tot teitantur Collegia homiletica, hebraica, the-  
ologica lectoria atque disputatoria, in gratiam illius habita. A.  
74. Ivasu B. Varenii Theologicam exambiit Professionem, ad  
qvam anni seqventis initio vocationem accepit, qvin & eum in  
tinem de novo in Collegium Ducale est receptus, licet, inter-  
venientibus adversitatibus, introduci ad Professionem istam non  
potuerit. Interim Ao. 1679. Doctoris in Theol. gradum Gry-  
phiswaldiae obtinuit, ac paulo post V. Disputationes Theol.,  
sub tit: *Paparus proprio Canonum gladio jugulatus*, h.l. in publi-  
cum edidit, atque defendit, qvas Ser. Principi, ad castra Pont.  
proh dolor! transgesso, dedicavit, additis literis, religionis  
mutationem improbantibus, redditumque ad veritatem invaden-  
tibus. Qvo tacto B. Noster non solum ad Professionem Th. non  
promovebatur; sed a Philosophica quoque, cui dudum præ-  
fuerat, suspendebatur: qvi tamen, nullo modo territus, DEO  
gratias agebat, qvod dignus haberetur, propter veritatem ali-  
quid pati, & disertis interea providentia divinæ signis re-  
creabatur, cum domum reversus studiosorum, insolita freqven-  
tiâ Collegia ipsius visitantium, favorem atque gratitudinem ex-  
periretur. Cum veratum temporis duas disputationes Theol.  
de Abrabamitica diei Christi visione ventilare cogitaret, con-  
clusum esse cognovit: non concedi ipsi in Rubro disp. debere titu-  
lam Professoris. Unde, ne sibi præjudicaret, dissertationes il-  
las in Academia Gryphiswaldensi A. 1681, adjunctis adhuc tri-  
bus aliis, primâ & secunda de Melchisedeci persona & origine,  
tertia vero de crucifixione Christi, Praeses ventilavit, & paulo  
post Rescriptum Principis, jam DEO sic disponente iterum pla-  
cati, benevolum, plenariam restitutionem & altioris promotio-  
nis promissionem continens, adeptus est. Restitutus sic B. No-  
ster

iter solitam suam in legendo continuavit diligentiam, nec mai-  
nus Disputationibus duabus de Melchisedeco, ante memoratis  
alias addidit, nonnullis præterea de triverbio Eve elaborati  
atque defensis, ut & historicâ quadam de terrarum Mecklenb. tis-  
tulorumque Ducalium origine. A. 1685. negotiorum qvorundam  
causa iter instituit, visoq; Guelphbito, Halberstadtio & Quedlenb.  
per Lipsiam, Dresdā Pragam aliasq; Bohemiæ & Moraviæ civitates  
Viennam petiit, ipsiq; Augustissimo Imperatori Leopoldo Semis-  
centuriam Anagrammatum, Typis exscriptam, A. 1686. d. 18. Jun. ob-  
tulit, & post aliq; tempus, nempe 1. Jun. die Rostochium re-  
diit. Reversus ad suos mox vocationem de novo ad Professionem  
Theol. obtinuit, superatisque qibusdam impedimentis, ad ean-  
dem d. 19. Octobr. est introductus, nec minus in Facultatem Theol.  
receptus. Sed tunc A. sequente magno ipsius cum mœrore dile-  
ctissima conjux, præmatura morte abrepta, viduum illum reli-  
quit. Nihilominus in laboribus, ad exornandam spartam suam  
cœptis, impigrè perrexit. Qvorsum spectant non solum varia,  
qvæ more solito aperuit, Collegia; verum etiam multæ di-  
sputationes publicæ; tam ad illustrandum Jesaiam propositæ,  
(nempe in primâ illius Parte, XIII, in secunda vero XXIII, de  
qvarum accurata conscriptione conferri potest judicium Theolo-  
gi Celeb. D. D. Eccliti in præfat., Comment. B. Dorschæi in Jesaiam  
præfixa) qvā aliæ, ad declaranda varia scripturæ loca facientes, sc.  
de Altari Gideonis, Ephod Gideonis, Magistratus institutione, Mul-  
eribus Zobbooth, Angelorum Concilio, Angelo Melitz, Abrabamo  
solâ fide justificato, item Patristicæ ex juris canonici monumentis  
contra Papatum, nempe de Conjugio Clericorum, de utraque pse-  
cie, de Papa, de peccato originali; ut taceam Disputationes privatas,  
mox super A. Conf., mox Form. C., mox selectiores universæ Tb. que-  
stiones, habitas, qvarum theles imprimi curavit, nec non mul-  
tas Disputationes inaugurales, eodem Decano ac Præside habi-  
tas, ac deniq; disp. illas, qvæ eodem Moderatore fuerunt venti-  
latæ: qvarum omnium recensionem in novis literariis maris  
Baltici, ad qvæ ex parte concinnanda suam quoque commoda-  
vit industriam, reperire licet. Interea A. 1693. Senioratum  
nactus est in FCte Theologica, & A. 1700. in collegio Ducali  
ac tota Academia; nec minus in Consistorium Ducale receptus

B

A. 1702.

A. 1702. Intermedio quoque tempore, nempe A. 1699, cum  
virtuosam plane, & probam morigeramque viue sociam, sicut  
ipse testatur in Rostochii literati appendice p. 474; nempe virginem  
amabilissimam, ANNAM SIBILLAM HEDEWIGAM KOH-  
LEN, Viduam nunc moestissimam, B. CHRIST. KOHLII,  
Schole quondam Razeburgensis Catbedralis Mct. Rectoris, filiam,  
in Domo Ducali Viduae Principis Saxon-Lauenburgicæ Lauenbur-  
gi inveniret, misso viduitati, in qua perlx. annos vixerat, nun-  
cio, conjugium cum eâ iniit, idque omnium felicissimum at-  
que exoptatissimum, ita ut nihil nisi liberi & constans diuturnitas  
defuerint. Sed sicut terminum vitæ nostræ præfixum esse  
scimus, atque ex Mosis ore antea audivimus; ita qvidem pri-  
mum etiam, à viro illo Dei nominatum terminum, quæ rari hodie  
exempli res est, attingere ei, quin & quodammodo supergre-  
dilicuit, adeo, ut per totam vitam prosperâ ut plurimum, &  
ad summum hoc senium continuatâ valetudine, sit usus: ve-  
rum tandem, aliquot abhinc septimanis mortis prænunciis,  
langvor scilicet variaque symptomata adversa, accesserunt,  
ipsaque mors, omnium ærumnarum finis, secuta est, cum An-  
nos vixisset 70, 5. menses & circiter dimidium. Appa-  
nam autem, more solito, ipsam Medici, D. D. SCHAPERI,  
*Medicinae apud nos P. P. ac Practici Celeberrimi*, qui unâ cum  
D. D. GERLINGIO, *Medico pariter apud nos felicissimo*, durante  
morbo ipsi auxilium ferre tentavit, de morbo B. nostri morte  
que relationem, seqventibus ab eo verbis conceptam:

Ad Venerandi Academiae & Collegii ducalis Senioris  
nostris, jam beatis, morbum quod attinet, dies quintus Augusti  
erat, quo juam de vigilis & asthmate querelam dabat  
Viro Nobilissimo & Experiensissimo Dn. Doctori GERLIN-  
GIO, Practico felicissimo; Et ut hicce laudatus Vir bisce  
malis salutaria opposeret remedia, faciun tamen, ut vel  
asthma duraret, vel cum remissione ejus subinde enata iussis  
augeretur. Tandem & ego die 18. Augusti vocatus,  
egrum deprehendi cundem, cum dissensione Hypochondrio-

THMS

rūm, & tumore pedum œdematoſo. Difficili buie atq[ue] pertinac[er] malo, licet ut hactenus ita porro exquisitis obviam iretur medicamentis, ut subinde spem caperes æger; averti ramen non poterat, quin œdema pedum altius excurreret, & ad genua usque sese extendens, darez suspicione[m] non levem, in abdominis visceribus eandem reperi dispositionem cachecticam, anxie binc respirabat cum vigiliis sequentibus, tussi saepius recurrente, virium suppressione quotidie majori & pulsu languido & exparte inæquali, qualē laudatus Dn. GERLINGIUS jam die 15to Augusti adverterat. Rebelli buie morbo etiam junctum erat Senium, eq[ue] ipsi levis convalescendi ſpes, magnus vero morelis inde enaturæ metus enascebatur, & ita quoque factum est, ut die 30. Augusti circa horam vespertinam decimam noſter Venerandus Senex & ager placida cum morie vitam mutaret.

Hucusq[ue] se extendunt verba prælaudati viri. Non dubito, quin ex his omnib[us] ſufficienter pateat, vitam B. nostri vivum ejus, quod in dicto mosaico continebatur, ſiftete exemplum. Longa quidem, pro communi vitæ hodierno termino, ſed nec minus laboribus moleſtisq[ue] plenissima, fuit vita. Quid mirum igitur, B. nostrum, Scripturæ S. lectorem & æſtimatorem indefeſum, aliam potius vitam, quam misera n[on] hanc, elegisse, & vel conceptis votis expetiſſe, pio Simeonis adhibitō voto: *nunc dimittis ſervum tuum, Domine, in pace.* Nam cæleſia querenda eſſe, is deniq[ue] negabit, qui neq[ue] mundi unquam contemplatus eſt miseriā, neque æternorum bonorum excellentiam. Mundus hic ſanè carer eſt, & miseriā vallis. Quis non expeteret amabilē ex illo libertionē? Vita noſtra fumus eſt ac cursus. Quis non ſolidamq[ue] rareret recreationem? Alterius igitur ſeculi vita eſt, quam Christianus querit, quam in totâ hac vitâ ob oculos positam habet. *Ea quæ à tergo ſunt, obliuiſſimur, ad ea verò, quæ à fronte ſunt, contendit.* Sanè ſi

B 2

Petrus

Petrus, qvodam saltem vitæ æternæ schemate perspecto, exclamabat: bonum est, hic esse; quid beatos putas dicturos esse, in cœli refrigerio constitutos, ubi non esuriunt amplius neque sitiunt, ubi nec sol in eos cadit nec ullus æterus, qvoniام Agnus pascit eos & via Dux est ad viuum aquarū fons. Sed qvorsum me abripit dulcis vitæ illius, æternæ pariter ac felicissimæ, à Deo submisissimis precibus nobis impetrandæ, consideratio? Anima B. nostri curâ nostrâ non indiget, & ad nos redire nunquam expedit. Verum corpus illud exaniine, qvo loculo suo inclusum, terræ matri credendum est, donec illud DEUS ter Opt. Maximus cum anima qvondam felicissimè reduniet, debito suo haud est defraudandum honore. Itaque Vos omnes & singules, Cives, ut magna frequentia comitatum funebrem condecorare, & hoc ipso moestissimam Viduam ac reliquos necessarios solari, quantum in vobis est, velit̄is, obnixè rogo. Facietis sanè, qvod humanitatis pietatisqve laudem Vobis conciliare, & mortalitatis vos propriæ admonere poterit. Nunquam eritis feliciores, qvam si ab hoc momento in perpetuum illud vobis ob oculos sistere haud intermissuri estis.:

*Sursum corda!*

P. P. Rostochii d. 9. Sept. A. 1704.  
sub Sigillo Rectoratus Academici.

**Conventus erit tempore consueto  
in æde Jacobæ,**